

LECTORIBVS IESVM CHRIS-  
tum saluatorem in veritate quærentibus,  
Robertus Stephanus.

**N**on ignoravi hætenus quantum inuidiæ  
passim apud multos bonos viros meus è  
Gallia discessus sustineret. Imò antequã migra-  
rem, hoc mihi sæpe in mentem venit, passim à  
plerisque factum meum damnatũ iri: non solùm  
quòd deserta patria aliò concessissem, sed quia  
solum vertissem cum publici boni iactura, &  
erga Regẽ, à quo tã liberaliter fuerã tractatus,  
parum gratus fuisset. Nam mihi valde hono-  
rificum erat, quòd me Rex typographũ suum  
constituere dignatus, semper præsidio suo texit  
cõtra omnes inuidos ac maleuolos, nec cessauit  
modis omnibus benignè iuuare. Quia autẽ li-  
terarum studijs vtilem operã per multos annos  
nauaui, cursum illum temerè, & sine maxima  
necessitate abrumpi nõ decuit. Accidit tandem  
quod timuerã: sparsi sunt varij de me sermones:  
vix decimus quisque fuit qui non odiosum de  
me iudicium faceret. Silui tamen interea: quia  
malebam falsa infamia me ad tempus grauari,

a.ii.